

ipsum corrumpit, & vt aquam prauam & putridam generet, efficit vtq; ea non recipiatur ob id à renibus, atque ita collecta effluat in spatium ventris, & ascitem generet. Tympanites verò calefacto similiter ventriculo, & calore naturali euanescente: siquidem dictum est de ventre, quod sit durus & gracilis, eodem modo flatum gignit, non aquam, nam ex quauis materia flatus efficitur, non autè aqua corrupta, ideo ad tympanitem perueniunt, non quidem flatu in ventriculo genito: ille enim extrudi solet ructibus & peditibus, sed humido quodam tenui per substantiam ventriculi defluente. Afficiuntur autem, vt manifestum est in hoc casu vtraque membra, & ideo etiam ascites fit tympaniti iuncta est tympanites non sine ascitide: quod contingit in his qui ex lienis vitio in hydropem deueniunt: secus autem à icore ascites, à ventriculo tympanites: non tamen prorsus sine aqua contingit, rariùsque tympanites ob id sine aqua, quam ascites sine flatu fit: quamquam conuersa ratione, rarius ascites cum multo flatu fiat, quam tympanites cum multa aqua: interdum tamen quasi ex æquo fiunt.

\*\*\*

## LECTIO XXXIV.

*Super*

## TEXT. IV.

**A**estate enim dyssenteria multæ ac alui profluvia incidunt, & febres quartanæ diuturnæ. Hi autem morbi prolongati tales naturas ad hydropem deducunt, ac occidunt. Et hi quidem morbi ipsis æstate fiunt.

**A**n tormina Latine sint dyssenteria Græcè, vt credam non facile adducar, sed potius difficultas intestinorum dicenda est dyssenteria, vt etiam nomen ipsum significat.

An etiam omnis cruenta excretio seclusis hæmorrhoidibus debeat appellari dyssenteria hoc non admodum se offert, sed disquisitione opus habet, eamque diligenti. Galenus 12. Methodi, cap. 7. proponit duos morbos esse maximè notos, dicens, non idem in aliis exigi, & dicit esse morbum lateralem, & dyssenteriam: ergo dyssenteria, vt Iachinus existimat, cap. 5. 8. exposit. super Almanforem ob id laborem intestinorum significat, quia cæteris morbis intestinorum & si acrius laborè coli dolore, velut & ilei, nullus tamen morbus commune nomen omnibus intestinis habet, qui sit illi proprius, vt dyssenteria.

Est ergo vlcus intestinorum propriè, seu dum factum est, seu dum fit impropiè, vt 3. de Sympt. causis, cap. 2. triplex, vnòque nomine omnes comprehenduntur: scilicet non legitimæ, seu cruentæ. Prima est quum sanguis purus exit tempore, & per circuitus, plerunque coaceruatur, quod aliter antea solet distribui, vt suppressis mensibus, vel hæmorrhoidibus, vel sanguine narium, vel ab-

Tom. VIII.

scisso crure, aut brachio, aut fistula sanata, aut scabie, vel lepra, idque annotandum in hoc casu, quod huiusmodi dyssenteria sanguinem saniosum euacuant, & non purum, suntque deteriores, in scabiola autem adest serosa pars ac tenuis multa, atque erodens. Secunda est, quum ex liene defertur sanguis splendidus, ac niger, non tamen erodens à liene. Tertia, quum sanguis aquosus cum fecibus in epatico fluxu. De vera quum sit cum vlcere intestinorum, dubium non est quin faciat dolorem, neque mirum est. Et erosio fit vel à flaua bile, vel à bile quauis exusta, vel à pituita falsa. Dicebat Princeps 16. tertij, tract. pr. cap. 2. pag. 3. vlcera fiunt in intestinis à bile flaua in duabus hebdomadibus, & à falsa pituita diebus xxx. & à melancholia diebus xl. & sumpsit hoc à Rhasi, 13. contin. tract. pr. & quomodo ergo potest incipere dyssenteria statim ab atra bile, vt 4. Aphor. 24. id ergo plerunque contingere solet.

Arabibus connixis ad quandam methodum res redigere, & possunt quidem sed non adeò facilem & ordinatam, vt ipsi rebantur: Galenus autem Comm. 2. & 3. putat quatuor esse causas dyssenteria: duas, quas ibidem expressit, tertiam verò & quartam in sexta particula eorundem Aphorismorum bilem flauam, & bilem exustam, ac atram, ichores maximè biliosos & pituitam falsam. Illud verò refertur à Iachino quod & à Galeno 6. Aphorismor. Comment. 1. sumptum est, tinnemum scilicet & dyssenteriam ab eisdem causis fieri, atque in timesmo vlcerari anum, in dyssenteria intestina. Illud etiam valde ad rem, vnamquàmque dyssenteria veræ speciem tres habere ordines, cum mucus sanguinolentus exit, & hoc est initium: cum interioris tunica pars cum multo sanguine educitur, tuncque iam magnus est morbus, & confirmatus: quum exit tertia tunica, & tunc est tempus vltimum, & æger fermè conclamatus. Curari ergo debet æger primo tempore: sed hoc rarè succedit, quod tum causa valde viget: plerique curantur in secundo tempore nam in tertio exigua est spes. Iam verò dubium est cur etiam in dyssenteria epatica quum sint citra vlcus, doleant intestina. Causa est, quoniam licet non sit vlcus, magna tamen vi contenta exprimuntur, & quæ exprimuntur, cruda sunt, ideo tum propter conatum, tum intemperiem, quæ eiiciuntur dolorem mouent: nam & in plerisque diarrhæis dolores adsunt ob eandem causam, quæ enim expelluntur, sunt immodicè calida, vel frigida, vel sicca, & ideo ab initio quandoque sunt sine dolore, post autem dyssenteria & alui profluvia dolorem pariunt: quia intemperies augetur, vnde eadem causa transeunt profluvia successu temporis in dyssenterias.

Quum verò sit intentio in hoc textu docere de tribus morbis, qui æstate ob potum huius aquæ abundare solent, dyssenteria, alui profluum, quartana diuturna: secundo, quod hi morbi producti hydropem generant: tertio, quod ex hydropem pereant: & prima pars, vt dixi, contineat tres morbos, quorum generationem explicare oportet, fiet vt explanatio ipsa exigat sex partes. Profluvia verò alui dicuntur, quum multa materia deicitur

F